

349  
Nunc integrascens adversi lumine fratris,  
Consult in mundi lucem, ponitq; tenebris  
Qualemcunq; modum, noctemq; à nocte repellit.  
Non sic NEUMANNUS, Sophies Sol atq; Themistos,  
Mittitur: à curis requiescat ut ille molestis.

Namq; in Zodiaco, sic disponente JEHOVA,  
Cogitur officii binos absolvere cursu  
Annos. Nimirum quod Soli celsus Olympus;  
Hoc fuit, est & erit NEUMANNO Curia nostro:  
In quà proficuos Sophies spargebat abundè  
Huicce Reipublicæ radios, sparsurus & usq;  
Donec in hoc mundo lumen vitale videbit.

Nostro non ullus Soli successit Oriõn:  
Sed patriæ alternis vicibus sine splenduit Urbi  
Exactæ radiis rationis, mentis & altæ.

Hic imitabatur Dictynnâ luce micantem,  
Quæ cluet ignicomî meritò soror æmula Solis.

Namq; Reipublicæ tenebras persæpè fugavit:  
Urbi consuluit nostræ de luce, sinistra  
Quam fati nebulæ circumfudère nocentes.  
O utinam fines illis quoq; pònere posset  
Atq; modum, Mavors quas jam minitatur iniquus!

Scilicet æger erat THEODORUS, amabile Corclum  
Principis Aonidum, Themidos prælustreq; fulcrum,

Curia cum fasces iterum committeret Ipsi,  
Cesserat è vitâ MOLLERUS Consul, & auras  
Liquerat has lucis FÖRSTERUS, sapius olim  
Consulis imposuit patrios cui Curia fasces.

Ergò NEUMANNO positos (res mira,) SENATUS  
Imponit fasces: ut leges atq; statuta

Pòneret, ac iterum curarum pondera ferret;  
Quæ tulit auxilio JOVÆ PATRUMq; verendum,  
Usq; Reipublicæ qui nostræ commoda curant,  
His fert acceptum; quod, tanto turbine rerum,  
Molem curarum potuit pèrferre molestam.

Hunc è Consulibus nostris spectavimus unum,  
Supremâ totum considerare sede per annum:  
Triste quod omninò fuit; ast Tibi tristius, cheu!  
O NEUMANNÈ; vices quia semper functus eorum  
Vel respondendo, vel decidendo: levârunt

Ast onus ex aliquâ curarum parte fideles  
COLLEGE Tibimet, quos clarat diva Themista.  
Insuper & faciles Cives Tu semper habebas,  
Qui non invitis animis Tua jussa secuti.

Res est difficilis moderari legibus Urbem,  
Ignea Mars quando furibundus fulmina spirat,  
Omnia cumq; jacent commercia, Civibus atq;  
Res angusta domi; nequeant ut ferre tributa.

Phœbeo certè NEUMANNI insigne colendi  
Virtutum laudumq; decus fulgore coruscat,  
Irradiatq; simul Patriæ latus omne nitore.  
Cui non mentis opes, & dives copiâ dextri  
Consilii spectata? Fides quem muneris alti  
Inculpata fugit, tenuis hac exercitâ duris  
Rebus; victa tamen curarum ponderè nullo?

Cœtera quis possit meritorum exempla referre?  
Quis reliquas animi, verè enthea munera, dotes?  
Queis Illi haud facilè se quisquam è gente vetustâ

Servi

Elias Theo-  
dorus Consul  
regens. 1676.  
Christianus  
Mollerus  
Consul  
1675.

Carol. För-  
ster. Consul.  
1676.